



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispvatio L. De divinis Proceßionibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



# DISPUTATIO L.

## De Divinis processionibus.

### SECTIO PRIMA.

Verum in Divinis statuenda sint aliqua processionibus.

I. Variè à multis in Trinitate est peccatum.



**M**IRUM est quot modis (ut varia semper & inconstans est hæresis) in Trinitatem aliqui peccarint. Quidam, ut vidimus, Personarum numerum negarunt: alii ita tres admittebant Personas, ut tres etiam in iis statuerent essentias. Alii denique sunt, qui tres quidem divinas Personas ejusdem essentia in Deo admittunt, aiunt tamen unam ab aliâ non procedere, sed singulas esse à se, & *abolitus*.

Autotheani.

II. De fide est dari in Trinitate processionibus reales.

Veritas tamen catholica, est, ita dari in Trinitate tres Personas divinas, ut una ab aliâ verè & realiter procedat. Duæ primæ partes, de numero scilicet, & Divinitate Personarum, probatæ sunt Disp. præcedente. Tertia itaque pars, dari nimirum in Deo veras & reales processionibus ad intra, probatur primò ex Concilio Niceno, & Constantinopolitano primo, ubi de Filio dicitur: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum &c.* Item de Spiritu Sancto: *Qui ex Patre Filioque procedit.* Divinas etiam processionibus astruunt passim alia Concilia, præsertim Lateranense Magnum, cap. *Firmiter* Viennense &c.

Concilium Nicenum. Conc. Constantinopol. Concil. Lateranense.

III. Dari in Divinis processionibus probatur ex Scripturâ.

Ad hanc veritatem definiendam moti sunt horum Conciliorum Patres variis sacrarum Literarum testimoniis: Joan. 8. v. 42. dicit Christus: *Ego ex Patre processi, & veni:* Quod S. Augustinus tract. 42. in Joan. explicat de processione aternâ. Joannes item 15. v. 26. habetur: *Paraclitus, qui à Patre procedit.* Deinde Christus in Scripturâ sæpe vocatur Filius Dei: Sic Matth. 16. v. 16. dicitur: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Item 1. Joan. 5. v. 20. *Vt sumus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita aeterna.* Ad Rom. etiam 8. v. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit, &c.*

IV. Cam Deus aliis det fecunditatem, ipse debet esse fecundus.

Ratio autem convenientiæ est: cum enim Deus aliis det fecunditatem, rationi maximè consentaneum est, ut ipse non careat fecunditate: juxta illud Isaïæ 66. v. 9. *Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam dicit Dominus? Si ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus.*

V. Vtrum una Persona in Divinis ab aliâ dependeat.

Objicies primò: si dentur in divinis reales processionibus, sequitur unam Personam ab aliâ dependere. Resp. si per dependere non intelligatur aliud, quàm unam Personam non posse esse sine aliâ, certum est unam ab aliâ dependere: sicut dicit Christus Joan. 6. v. 58. *Ego vivo propter Patrem.* Re tamen verâ illud solum vocatur ens dependens, quod non existit necessariò, sed gratuitò existentiam ab alio accipit, ac veluti emendicat.

VI. Licet Pater

ergo erit causa Filii. Respondetur multos qui-

dem ex Græcis Patrem vocare causam Filii. Hoc tamen planè est negandum; causa enim ut ostendi Disp. 18. Phys. sect. 1. est *Principium influens esse in aliud*, & ut ait S. Thomas hic, q. 33. art. 1. ad 1. causa importat distinctionem in substantiâ, quod denotat vox illa *aliud*; Pater autem licet sit *altus* à Filio, non tamen *aliud*; nam ut dicitur 1. Joan. 5. v. 7. *Hi tres, Pater scilicet, Verbum, & Spiritus Sanctus, unum sunt*: ob hanc ergo rationem, quamvis Pater producat Filium, non tamen est illius causa.

atervius producat Filium, non tamen est causa Filii.

Objicies tertio: Deus est primum rerum omnium principium, ergo nequit in divinis quidquam procedere ab aliquo, tanquam à principio. Respondetur Deum esse principium omnium rerum creaturarum, sed ad extra: quælibet tamen Persona in divinis non est principium respectu omnium processionum internarum.

VII. Quælibet Persona Divina non est principium omnium internarum processionum.

Id tamen hic advertendum: esto Filius à Patre procedat atque ab illo producat, & hoc sensu sit ens ab alio; nunquam tamen est concedendum Filium, aut Spiritum Sanctum esse simpliciter ens ab alio: nam ens ab alio propriè dictum, est illud quod producit ab alio simpliciter, seu quod est aliud ab eo quod producit, habetque aliam substantiam, seu essentiam ab eo. Vel etiam quod existit gratuitò.

VIII. Filius in Divinis non est propriè Ens ab alio.

Disputant hic aliqui, utrum ratione naturali cognosci possit dari in divinis processionibus, & an probari queat contra *Autotheanos*, de quibus dictum est num. 1. tres Personas non existere absque eo quòd una procedat ab aliâ. Sed hoc commodiùs discutietur infra, ubi peculiariter agetur de Trinitatis cognoscibilitate.

IX. An ratio naturalis cognoscit processionibus.

### SECTIO SECUNDA.

An processionibus divina sint per intellectum & voluntatem.

**I**N PRIMIS suppono contra Aureolum dari in Deo veram potentiam producendi ad intra: hanc enim, ut ait Vasquez hic, Disp. 163. is videtur negare. Sed si rectè explicentur termini, non videtur hoc ab ullo orthodoxo negari posse; cum enim in Deo dentur duæ Personæ, altera à Patre solo, altera à Patre simul & Filio producta, certissimum est dari etiam in Deo virtutem earum productricem, quam nos vocamus potentiam producendi. Si autem ideo neget Aureolus Deum habere potentiam producendi, quia vult potentiam esse aliquid à naturâ realiter distinctum, verum quidem est hoc sensu non dari in Deo hujusmodi potentiam, sed eodem modo negare Deo posset omnipotentiam, cum non distinguatur realiter.

I. Datur in Deo potentia producendi.

Quo sensu neget Aureolus dari in Deo potentiam producendi.

Durandus in 1. dist. 6. q. 2. quavis, inquit, accommodatione quâdam dici possint processionibus divinarum, altera per intellectum esse, altera per voluntatem

II. Durandi opinio circa processionibus divinas.



*Varia consue-  
ra circa opi-  
nionem Du-  
randi.*

tatem, contendit nihilominus eas immediatè esse per naturam. Hanc tamen sententiam rejiciunt omnes Theologi: imò multi gravem ei censuram inurunt. Valentia eam appellat temerariam: Zumel non temerariam tantum, sed forte erroneam: Suarez errori proximam: Molina periculosam in fide, & erroneam: quare eam planè rejiciendam affirmant.

*III. Processiones  
Divinae sunt  
immediatè  
per intellectu-  
m & volun-  
tatem.*

III. Dicendum itaque divinas processionem esse immediatè per intellectum & voluntatem, prout ratione nostrà à naturà distinguuntur: ita S. Thomas 1. p. q. 27. per totam. Halensis 1. p. q. 42. memb. 2. S. Bonaventura in 1. dist. 10. & 27. Scotus in 1. dist. 2. q. 7. Suarez hic, lib. 1. de Trin. cap. 5. num. 4. Molina hic, art. 5. disp. 2. Tan. 1. p. disp. 4. q. 2. dub. 2. num. 4. & 8. cum aliis.

*IV. Ex Scriptu-  
ra est istud  
Divinae pro-  
cessiones esse  
immediatè  
per intellectu-  
m & volun-  
tatem.*

IV. Ratio est: nihil enim in Scripturà frequentius, quàm ut Filius vocetur *Verbum, Sapientia Patris* &c. ac propterea dicitur Ecclesiastici 24. v. 5. *Ex ore altissimi prodixisse*; oris autem nomine in re spirituali, ut notant omnes, significatur intellectus, quo nimirum quis sibi loquitur, sicut linguà, seu ore corporeo loquimur aliis, juxta illud Psal. 36. v. 32. *Os justi meditabitur Sapientiam*. In Scripturà etiam mentio sub iis nominibus fit de Spiritu Sancto, quæ denotant ejus processionem esse per voluntatem, dum nimirum ea, quæ ad amorem & sanctificationem pertinent, ei peculiariter tribuuntur: sic ad Roman. 5. v. 5. dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Deinde Actorum 2. habetur descendisse Spiritum Sanctum in formà ignis: quo notabatur eum ignem esse spirituales, seu amorem, qui discipulorum corda inflammabat. Unde multi ex Sanctis Patribus per ignem, quem Christus Lucæ 12. v. 49. dicit se venisse mittere in terram, intelligunt Spiritum Sanctum. D. etiam Augustinus lib. 9. de Trin. cap. 12. & lib. 15. cap. 17. ait *Spiritum Sanctum esse procedentem a-*

*Spir Sanctus  
est ignis, qui  
venit Chris-  
tus mittere  
in terram.*

*V. Scriptura &  
Patres prop-  
riè accipi  
debent.*

V. Imò Sancti Patres divinas processionem semper per actus intellectus & voluntatis declarant: has autem omnes tum Scripturæ, tum Patrum locutiones ad improprios & metaphoricos sensus detorquere, est contra regulam illam à Theologis assignatam, nempe verba Scripturæ & Patrum debere propriè, & ut sonant, accipi ubi possunt: posse autem hic propriè accipi ostenditur ex solutione eorum, quæ à Durando objiciuntur. Et sanè eodem modo posset Durandus dicere secundam in Trinitate Personam, non esse propriè, sed tantum metaphoricè Filium, sicut ait esse metaphoricè Verbum, cum Scriptura & Patres eodem modo de uno loquantur, ac de altero.

*Secunda Per-  
sona est pro-  
priè Filius;  
ergo propriè  
Verbum.*

*VI. Natura in-  
tellectualis  
non opera-  
tur ad intra,  
nisi per in-  
tellectum &  
voluntatem.*

VI. Ratio denique hujus rei probabilis est: in naturà quippe intellectuali, ut rectè observat Sanctus Thomas hic, q. 27. art. 3. & 5. non datur processio ad intra, nisi secundum intellectum & voluntatem: & in hoc, ut ait S. Augustinus, creatura rationalis est vera imago Dei, quòd nimirum, sicut illa non operatur ad intra nisi per has duas facultates, ita nec Deus. Deinde, ut etiam notat idem S. Thomas art. illo 5. reddi alioqui ratio non posset, cur processionem in divinis sint tantum duæ.

*VII. Quid, si quis  
diceret na-  
turam Di-  
vinam esse  
intellectum  
& volun-  
tatem.*

VII. Id tamen observandù, si quis naturam divinam formaliter sitam esse dicat in intellectu & volitione, cum argumentis tum ab auctoritate, tum ratione hic adductis, non impugnari; nec enim vitio vertunt Durando Theologi, quòd proces-

siones hæc dixerit esse immediatè per naturam, sed quòd negaverit esse per intellectum & voluntatem.

SECTIO TERTIA.

Argumenta contententia Processiones divinas non esse per intellectum & voluntatem.

OBICIT Durandus primò: Intellectus divinus (idem est de voluntate) est omnibus tribus Personis communis, ergo non potest esse principium peculiariter, in Patre productionis Filii. Contra: non minus natura divina est omnibus tribus Personis communis, quàm intellectus; ergo nec natura poterit esse immediatum principium productionis Filii. Eo ergo modo, quo ipse in Patre dicit naturam determinari ad productionem Filii, dicemus nos determinari intellectum.

*I. Non minus  
natura Di-  
vina est om-  
nibus Per-  
sonis commu-  
nis, quàm  
intellectum.*

Dico itaque principium hinc producendi Filium & Spiritum Sanctum esse intellectum & voluntatem, hæc tamen facultates terminari debent peculiaribus personalitatibus, seu relationibus; sine his enim fecunditatem suam exercere nequeunt. Licet ergo tam Filius quàm Spiritus Sanctus habeant eundem intellectum cum Patre, non tamen possunt producere Filium, quia principium productivum Filii est intellectus divinus, ut in Patre, seu ut terminatus relatione Paternitatis. Similiter principium producendi Spiritum Sanctum est voluntas ut in Patre & Filio; ex quo constat, quamvis Spiritus Sanctus habeat eandem voluntatem, cum tamen eam non habeat eodem modo, seu iisdem personalitatibus terminatam, non potest producere Spiritum Sanctum.

*II. Quo pacto  
intellectus,  
& voluntas  
sint in divi-  
nis principia  
productiva.*

Objicit secundò: in creaturis, etiam iis quæ operari possunt immanenter productionem Filii, seu alterius personæ, non fieri per intellectum & voluntatem, sed per immediatam operationem ipsius naturæ; ergo nec Deus hoc modo Filium producit. Sed contrà: hoc enim argumentum probaret nullas omnino in Deo esse processionem ad intra; nulla enim res creata, purè intellectualis potest, etiam per actionem immediatè à naturà procedentem, substantiam suam communicare: malè ergo à rebus creatis arguitur ad Deum: maxime, cum ut sectione præcedente num. 4. & 5. vidimus, Scriptura & Patres dicant Divinarum Personarum processionem esse per intellectum, & voluntatem. Quando autem Aristoteles 9. Metaph. tex. 16. dicit per actionem immanentes nihil produci, intelligit nihil per eas produci extrinsecum, non tamen negat verum ab iis produci terminum ad intra, cum intellectus intelligendo, verè agat.

*III. Differentia  
in modo pro-  
ducendi Fi-  
lium in crea-  
turis & di-  
vini.*

Objicit Durandus tertio, asserere quosdam ex Patribus, Filium in divinis procedere naturà, non voluntate. Respondetur primò velle eos procedere ipsum necessariò, non liberè. Respondetur secundò, ideo ejus processionem esse naturà, non voluntate, quia est Filius naturalis, non adoptivus, qui scilicet ex merà voluntate ac benevolentia adoptantis, in Filium asciscitur. Tertio, nam ut ait S. Thomas 1. p. q. 30. art. 2. ad 2. & q. 10. de Potentià art. 2. ad 11. intellectus & natura in Deo coincidunt, unde idem est procedere per intellectum & per naturam, quia scilicet ex vi processionis commu-

*Ad hanc im-  
manenter,  
verè aliquid  
ad intra pro-  
ducunt.*

*IV. Quo pacto  
dicant quid-  
dam ex Sa-  
ctis Patribus  
Filium pro-  
cedere natu-  
rà non vo-  
luntate.*



communicatur ei intellectus, seu natura; de quo postea.

V. Objicit quartò: processiones istæ sunt ex fecunditate naturæ, ergo non per intellectum & voluntatem. Negatur tamen consequentia: quamvis enim Processiones divinæ sint immediatè per intellectum & voluntatem, dici possunt esse ex fecunditate naturæ, licet natura, non per se immediatè, sed per suas facultates operetur: sicut in variis substantiis creatis contingit, quæ secundum probabilem sententiam, non per se immediatè, sed per suas potentias operantur. Radicalis nihilominus fecunditas in præsentem provenit ex infinitate naturæ; utpote quæ in omni re est prima, seu fundamentum; unde quicquid perfectionis in re ullâ est, tribuitur naturæ.

VI. Objicit quintò: æternitas, immensitas, & aliâ attributa nihil producent, ergo nec intellectus & voluntas. Nego consequentiam: operationes enim ad intra propriæ sunt intellectus & voluntatis, ut in creatis videmus. Omnipotentia nihilominus, ut ab intellectu & voluntate distinguitur, est principium operationis transeuntis, seu ad extra.

SECTIO QUARTA.

An hæ processiones sint per intellectum & volitionem.

I. OSTENDIMUS sectione præcedente, si intellectus & volitio à naturâ suo modo distinguantur, processiones divinas non esse à naturâ immediatè, sed per intellectum & voluntatem. Nunc ergo ulterius quaerimus, utrum formaliter sint per intellectionem & volitionem, an aliquid aliud ad eas debeat concurrere.

II. Ad rem hanc melius percipiendam notandum processiones divinas, in duplici esse differentiâ, activas scilicet, & passivas. Processio activa est illa, quâ una Persona aliam producit, estque hæc processio in ipsâ Personâ producente. Passiva autem processio est illa, quæ tenet se ex parte Personæ productæ. Paternitas exempli gratiâ est processio activa, quâ Pater producit Filium; Filiatio verò est processio passiva, in Filio existens: & idem est de Spiritu Sancto respectu Patris & Filii. Hanc divisionem Processionum tradit communis Theologorum Schola cum S. Thomâ hic, q. 40. art. 2. corpore, & q. 41. art. 1. & 5. & alibi; estque hæc doctrina ad præsentem quaestionem rectè intelligendam planè necessaria.

III. Præsens ergo difficultas est, utrum Processiones divinæ, per quas scilicet Filius & Spiritus Sanctus producuntur, sint per intellectionem & volitionem, an hæ actiones generandi & spirandi sint actus intellectus & voluntatis divinæ; ab actuali intellectione & volitione distincti. Ratio autem dubitandi est; intellectio enim & volitio sunt omnibus tribus Personis communes: ergo si per intellectionem, & non per aliam actionem Patri peculiarem (idem est de volitione respectu productionis Spiritus Sancti) procedat Verbum divinum, omnes tres Personæ generabunt, cum omnes perinde intelligant.

IV. Scotus itaque in 1. dist. 2. q. 9. §. Objicitur, duplicem in Deo intellectionem, seu actum intelligendi distinguit, essentialem unum, omnibus tribus Personis communem, alium notionalem, sic dictum, quod per eum una Persona ab aliis dignoscatur, & hunc appellat dictionem. Per primum ergo actum,

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

seu essentialem, negat Filium procedere, ob rationem numero præcedente positam; sed Divini Verbi generationem esse ait per secundum, seu per dictionem, hic enim actus est Patris proprius, & consequenter aptus, ut per eum producat Filium. Eodem modo duos actus voluntatis in Deo distinguit Scotus, Amoris omnibus communem, & Spirationalis, & per hunc ait Patrem & Filium producere Spiritum Sanctum.

Hunc Scoti discursum à Theologis passim rejici video: duobus tamen modis intelligi potest, & in altero mihi non omnino à vero aberrare videtur; nam inter intelligere & dicere, affirmare omnes debent, dari in divinis differentiam, cum omnes tres Personæ intelligant, omnes tamen propriè non dicant, sed solus Pater. Et idem est de amore essentiali, & notionali, nempe spiratione activâ, quæ operatio soli Patri & Filio competit.

Primo itaque intelligi potest Scotus, quasi duplicem in Deo statuatur cognitionem, seu representationem objecti, ratione saltem distinctam, quarum una sit essentialis, & toti Trinitati communis, altera notionalis & peculiaris Patri: hoc autem dici nequit: frustra enim hoc modo multiplicantur in Deo cognitiones, cum essentialis, in ratione representationis & perceptionis objectorum abundè sufficiat. Deinde non potest in Deo multiplicari duplex intellectus, quorum unus sit essentialis, alius notionalis; ergo nec duplex intelligere; antecedens constat: eodem enim modo omnia alia attributa multiplicari deberent, dicique dari in Deo duplicem justitiam, essentialem scilicet & notionalem, duplicem bonitatem, misericordiam &c. quæ tamen ab omnibus nullo modo censentur admitenda.

Tandem, intelligere illud notionale, redditur ejusmodi, seu propria Patris per aliquam relationem, seu personalitatem, relatio autem ac personalitas non sunt cognitio aut representatio, Pater siquidem nec per Paternitatem intelligit formaliter, nec per Filiationem, alioquin esset sapiens & intelligens formaliter per Verbum quod producit, hoc autem nullâ ratione est concedendum, ut fuse ostendit S. Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 3. & alibi. Existimo ergo mentem Scoti intelligendam esse juxta sequentem sententiam:

Verus itaque rem hanc explicandi modus est, ut dicatur, unum tantum in Deo esse intelligere, seu cognoscere, idque toti Trinitati commune; fieri autem notionale, & determinari ad Patrem, reddique dictionem, & generationem activam per relationem Patris. Spiratio item, in actuali volitione consistit, connotando relationem Spiratoris. Hæ tamen relationes non ad intelligendum & amandum conferunt, sed ad producendum: ita Suarez lib. 1. de Trin. cap. 7. Valq. 1. p. disp. 112. cap. 3. Arrubal hic, disp. 97. cap. 3. Becanus 1. p. cap. 1. q. 2. Tannerus 1. p. disp. 4. q. 2. dub. 3. Granado hic, tract. 1. disp. 3. sect. 3. & alii.

Solum noto, quamvis detur in Deo vera & realis potentia generandi & spirandi, tamen non est hæc potentia respectu actuum generandi & spirandi, sed respectu terminorum productorum, Filii scilicet & Spiritus Sancti. Unde quando S. Thomas 1. p. q. 41. art. 4. ait dari in Deo potentiam respectu actuum notionalium, rectè eum exponit Cajetanus ibidem, solum velle illum, dari hujusmodi potentiam ad actus notionales, non secundum se, sed quoad terminum productum, seu ad summum ad processiones passivas, non activas.

Intellectio, & dicitio.

Amor, & Spiratio.

V.

Hæc Scoti sententia duobus modis potest intelligi.

VI.

Quo sensu Scoti opinio non sit referenda.

Admitti nequit in Deo duplex intellectus, essentialis, & notionalis.

VII.

Intelligere notionale, redditur ejusmodi per relationem.

Pater non intelligit formaliter per Verbum à se productum.

VIII.

Quo pacto intelligere in divinis reddatur notionale.

IX.

In ordine ad quos terminos detur in Deo potentia generandi, & spirandi.



SECTIO QUINTA.

Quidnam formaliter sit principium quo producendi Filium & Spiritum Sanctum.

I. **D**UPLEX hac in re est sententia: Prima asserit principium quo respectu Filii, esse Paternitatem, respectu autem Spiritus Sancti spirationem activam. Secunda verò sententia affirmat principium quo in ordine ad has Personas esse intellectiōnem & volitionem, non quomodocunque, sed prout illa est in Patre, seu connotat relationem Paternitatis, volitionē autem in quantum terminatur relatione spirationis activae, Patri & Filio communi: ita S. Thomas hic, q. 41. art. 5. Scotus in 1. dist. 7. Suarez 1. p. lib. 6. cap. 5. num. 4. Molina hic q. 41. art. 5. Vasquez 1. p. disp. 164. cap. 1. & 3. & recentiores communiter.

II. Hanc secundam sententiam veriolem existimo, tum quia multò est communior, tum quia Patrum dictis, quorum auctoritas apud quemvis rectè sentientem, magni, in hac praesertim materia, esse debet momenti, conformior. Inprimis itaque S. Augustinus non semel asserit Verbum esse ex Sapientia, & ex memoriā fecundā Patris, quae apud S. Augustinum idem omnino sunt; lib. enim 15. de Trin. cap. 7. ait Patrem esse seipso formaliter suam memoriā, suam sapientiam, & intelligentiam actualem: ergo sapientia seu intellectio in Patre, est secundum S. Augustinum principium Filii, sed non principium quod, hoc enim propriè spectat ad suppositum; actiones quippe, ut quod, sunt suppositorum; ergo principium quo.

III. Idem frequenter asserunt reliqui Patres: Sanctus Athanasius, S. Basiliius, S. Nazianzenus, S. Ambrosius, & alii. Hec verò peculiariter docuit S. Fulgentius lib. 3. ad Monimum, cap. 7. his verbis: Cum enim mens apud se Verbum habet, utique cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, & cogitando Verbum intra se generat, de sua substantiā generat Verbum &c. Actum ergo intelligendi existimat esse id quo producitur Verbum.

IV. Hoc ipsum clarè affirmat Joannes Theologus in Concilio Florentino, ses. 18. interlocutione penult. Patri Persona, inquit, suppositum est generans; divina verò natura principium quo Pater generat, &c. Ubi plura in hanc rem subjicit, quibus docet principium quo Pater producit Filium, esse divinam intellectiōnem, connotando tamen relationem Paternitatis, seu prout est in Patre, ut supra dictum est numero primo.

V. Concludo luculento testimonio S. Anselmi in Monolog. cap. 54. ubi loquens de Spiritu Sancto, sic habet: Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater & Filius, sed ex eo in quo sunt unum. Ne quis autem existimet ex relatione spirationis eum procedere, statim subjicit: Nam non ex relationibus suis, quae plures sunt, alia est enim relatio Patris, alia Filii sed ex ipsa sua essentia, quae pluralitatem non admittit, emittunt Pater & Filius tantum bonum. Libro etiam de processione Spiritus Sancti cap. 25. & 30. ait Spiritum Sanctum procedere de divinitate Patris, non de Paternitate: quamvis requiratur etiam Paternitas, ut numero primo, & 4. dictum est; nec in eo potest esse controversia, nisi de modo loquendi.

Ratio denique est: Processio enim Verbi, ut ostensum est sect. praecedente, est propriè dictio, & intellectio: relatio autem, ut ibidem diximus, num. 7. non est intellectio, nec representatio objecti: cum ergo, ut ait S. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 7. & 10. Verbum Dei sit Sapientia genita ex Sapientia generante, principium ejus formale, seu quo, debet esse intellectio.

Dices: quicquid aliud producit, esse debet realiter ab eo distinctum, ergo principium formale productivum Filii non potest esse intellectio, haec enim, praedicatum absolutum cum sit, à Filio non distinguitur realiter, ergo principium Filii formaliter productivum est sola Paternitas, haec enim sola realiter distinguitur à termino producto, seu Filio. Respondetur negando antecedens, si sermo sit de distinctione adaequata, sed ut aliquid sit rei alicujus principium productivum, sufficit illud esse per identitatem in supposito, realiter ab eo quod producitur, distincto, hoc pacto enim est entitas, aliquo distinctionis genere, verè & realiter à Filio distincta, quamvis ut nomine intellectiōnis, seu termino absoluto denotatur, haec distinctio non explicetur. Si enim diversitas solius loci sufficiat secundum valde communem sententiam, ut idem Petrus in uno loco existens, possit se producere ut existentem in alio, à fortiori ad hoc sufficit realis identificatio cum supposito realiter distincto.

Neque hinc inferas intellectiōnem producere seipsam, intellectio enim non producitur. Solum ergo sequitur intellectiōnem, ut terminatam Paternitate, seu intellectum paternum producere aliquid ejusdem secum essentiae, sed relativè à supposito in quo intellectus Paternus est, distinctum: quod reipsa est producere Filiationem, non tamen intellectiōnem aut naturam, propter virtualem inter relativa & absoluta distinctionem, de qua plura postea. Haec dicta sint de principio producendi, generandi scilicet & spirandi: in quo enim actualis generatio & spiratio consistat, dicitur sectioe sequente.

SECTIO SEXTA.

Alia quaedam inferuntur circa divinas processiones.

I. **I**N FERO primò: quamvis, ut diximus sectioe praecedente, principium formale, seu quo, productionis Filii sit intellectio, & productionis Spiritus Sancti volitio, infero inquam, actualem nihilominus generationem Verbi, seu processionem ejus activam, esse relationem Paternitatis, & processionem, seu actualem productionem Spiritus Sancti esse spirationem activam; ita Suarez hic, lib. 6. cap. 1. num. 5. Molina 1. p. q. 27. art. 3. d. 4. estque sententia Magistri in 1. dist. 26. ubi sic habet: Generatio & nativitas, aliis nominibus sunt Paternitas & Filiatio. Quae ejus Verba avertit & probat S. Thomas hic, q. 41. art. 1. ad 2. Idem tenere videtur S. Bonaventura in 1. dist. 26. q. 3. Halensis 1. p. q. 42. memb. 2. Scotus in 1. dist. 28. q. 2. & alii.

Ratio autem est: productiones enim passivae non sunt intellectio & volitio, sed relationes Filiationis, & Spirationis passivae: ergo & processiones activae sunt relationes, quae enim vel apparens hujus differentia. Sicut ergo Filius procedere potest ut Verbum per relationem passivam, modò principium formale, seu quo, sit intellectio; ita & procedere potest per activam. Conf. sic enim in creatis

I. *Duae haec de re opposita inter se sententia.*

II. *Principia quo in divinis sunt intellectio & volitio.*

III. *Mens haec in re S. Augustini.*

IV. *Docent Patres principium quo esse intellectiōnem & volitionem.*

V. *Dicta Joannis Theologi in Concilio Florentino circa principium quo.*

VI. *Luculentum Divi Anselmi haec de re testimonium.*

VI. *Principium formale Verbi, quia tale, debet esse intellectio.*

VII. *Ut aliquid sit principium alicujus, sufficit esse in supposito realiter distinctum.*

Res haec declaratur exemplis.

VIII. *Non sequitur intellectiōnem producere seipsam.*

I. *Actualis generatio Filii, & productio Spiritus Sancti, sunt Paternitas & Spiratio activa.*

II. *Productiones passivae sunt relationes; ergo & activae.*



*Item exem-  
plis variis  
ostenditur.*

creatis videmus, quamvis principium formale pro-  
ductivum Verbi creati, sit intellectus, id tamen per  
quod immediatè producitur, non est intellectio, sed  
actio physica, quæ non est representativa ob-  
jecti, ergo idem suo modo est in divinis. Sic etiam  
in aliis, licet principium formale, seu quo ignis  
producit calorem, sit calor, illud nihilominus, per  
quod immediatè producitur calor, est actio, ut  
constat.

III.  
*Dua in Deo  
sunt proces-  
siones reales.*

Infero secundò, duas in Deo dari processiones  
reales. Hæc illatio est fide certa, Joannis enim 8.  
& 15. Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre  
& Filio dicitur procedere. Eadem etiam veritas  
in Concilio Niceno est definita. Et quidem de  
processionibus passivis, res est extra controver-  
siam, sicut enim Personæ ipsæ, Filius nimirum &  
Spiritus Sanctus inter se realiter distinguuntur,  
ita & processiones passivæ per quas producuntur,  
utpote quæ cum iis realiter identificantur. Quid  
autem dicendum sit de processionibus activis,  
à quæstione illâ pendet, quo pacto scilicet spiratio  
activa distinguatur à Paternitate & Filiatione,  
cùm, ut habetur in Concilio Florentino in literis  
unionis, Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat  
tanquam ab unico principio, seu uno spiratore, de  
quo dicitur infra.

IV.  
*In divinis  
duæ tantum  
sunt proces-  
siones.*

Infero tertio, duas tantum esse in Deo proces-  
siones. Hoc etiam est de fide, per quam nobis  
credendum proponitur esse tantum duas Personas  
procedentes; ergo plures esse nequeunt quàm duæ  
processiones, per quas scilicet procedant. Ratio  
hujus optima est, quam assignat S. Thomas hic  
q. 27. art. 5. Processiones quippe per illos actus  
sunt, qui sunt proprii intellectualis naturæ; in natu-  
râ autem intellectuali duæ tantum sunt facultates,  
ad intra operativæ, intellectus scilicet &  
voluntas, & duplex series actionum immanen-

*Ratio hujus  
rei à Divo  
Thomâ assi-  
gnata.*

tium iis correspondentium; quam etiam rationem  
ad hoc probandum afferunt passim Theologi;  
Halenfis, D. Bonaventura, & alii.

Dices, hoc quidem argumento ostendi, non  
posse dari in Deo plures processiones quàm duas,  
specie distinctas; eo tamen non obstante viden-  
tur plures dari posse, solo numero distinctæ, seu  
plures ab intellectu, & plures à voluntate proce-  
dentes. Negatur tamen sequela: fide enim cer-  
tum est, non esse in Deo plures Patres, nec plu-  
res Filios, nec plures amores procedentes; quic-  
quid autem in hoc genere est possibile, defacto  
datur, cùm hæc operationes sint necessaria. Va-  
rias rei hujus affert rationes S. Thomas citatus.  
Præcipua est, unaquaquequæ liquidem processio, ne-  
cessaria cùm sit, agit quantum potest: ac proinde  
intellectio producit terminum sibi adæquatum,  
seu Verbum perfectissimum, per quod scilicet re-  
presententur omnia, quæ Deus cognoscit.

V.  
*Dari ne-  
queunt in  
Deo plures  
processiones,  
quàm dua,  
etiam nu-  
mero disti-  
cta.*

*Optimus  
D. Thomæ  
discursus.*

VI.

Urgebis: hinc sequi non esse duas in Deo pro-  
cessiones, sed unam tantum, hæc enim adæquata  
esset virtuti infinite. Respondetur, per unam  
processionem realem salvari non posse, quo pacto  
sunt tres Personæ; impossibile enim est per unum  
distinctivum, plures Personas distingui, cùm per  
Processiones, proprietates distinctivæ Personarum  
constituuntur. Deinde, si unica tantum sit  
Processio, quo pacto verum erit unam processio-  
nem esse generationem, aliam non esse: item qua  
ratione una Processio erit ab unicâ tantum Per-  
sonâ, alia à duabus, & id genus alia, quæ absque  
duabus processionibus explicari omnino non pos-  
sunt. Utraque ergo Processio est in proprio ge-  
nere infinita, & habet terminum in suâ ratione  
formali sibi adæquatum: necessarium tamen est ut  
sint duæ, ob rationes proximè positas.

*Per unicam  
processionem  
salvare ne-  
quit myste-  
rium Trini-  
tatis.*

*Ostenditur  
plures esse  
debere Pro-  
cessiones,  
quàm unâ.*

## DISPUTATIO LI.

### De Divinarum Personarum cognoscibilitate.

#### SECTIO PRIMA.

#### Positne solo lumine naturali Myste- rium Trinitatis cognosci.

I.  
*Lumine na-  
turali cog-  
noscitur neque  
mysterium  
Trinitatis.*

**D**IVINARUM Personarum in unâ  
numero naturâ, seu essentiâ Trini-  
tatem non posse quemquam natura-  
li lumine cognoscere, communis  
est Theologorum sententia. Eam  
tenet S. Thomas hic, q. 32. art. 1. ubi etiam idem  
docet Cajetanus, Molina, & alii: Valentia 1. p.  
Disp. 2. q. 6. p. 1. Suarez hic, lib. 1. de Trin.  
cap. 11. Vasquez 1. p. d. 133. Idem ex antiquis do-  
cet S. Bonaventura in 1. dist. 3. art. 1. q. 4. Sco-  
tus quodl. 14. Halensis 1. p. q. 2. memb. 1. art. 3.  
& alii.

II.  
*Scriptura  
& Patres  
docent, non  
posse Trini-  
tatem natu-  
raliter cog-  
noscitur.*

Hoc in primis docent ipsæ Sacræ Literæ: sic  
Proverb. 30. v. 4. dicitur. Quod nomen est ejus, &  
quod nomen Filii ejus, si nosci? In quæ verba sic scri-  
bit S. Hieronymus: De Dei Patris, & Filii nomine  
dicit, ejus mysterium secularis sapientia naturaliter  
scire non potest, quamvis unum esse Deum intelligere po-  
runt. R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

test. Item Matth. 11. v. 27. dicit Christus: Ne-  
mo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit,  
nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare. Capite  
etiam 16. v. 17. Petro Christi divinitatem confi-  
tenti, dicentique cum esse Filium Dei, respon-  
det Christus: Beatus es Simon Bariona, quia caro,  
& sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in ca-  
elis est. Circa quod Christi dictum varia in hanc  
rem affert Divus Thomas in Catenâ, Sanctorum  
Patrum dicta. Hormisda etiam Pontifex cap. 1.  
Epistolæ ad Justinum Imperat: Secretum, inquit,  
Trinitatis, neque ulla visibilium, vel invisibilium crea-  
turarum potuit investigare natura. Denique, ut  
alios omitam, S. Augustinus 15. de Trinitate,  
cap. 6. Quis, inquit, disputandi modus, quem  
tandem vis intelligendi, atque potentia, que vivacitas  
rationis, que acies cogitationis ostenderet hoc unum,  
quod dicitur, quod modo sit Trinitas. Alia Sancto-  
rum Patrum testimonia videri poterunt apud au-  
ctores citatos.

*S. Hierony-  
mus.*

*S. Thomæ.*

*Hormisda  
Pontifex.*

*S. Augusti-  
nus.*

III.

Ratio hujus rei optima est, quam affert San-  
ctus Thomas hic q. 32. art. 1. Corp. Homo enim  
(idem est de Angelo) per rationem naturalem  
ad Dei cognitionem pervenire nequit, nisi per  
creaturas

*Deus natu-  
raliter non  
cognoscitur,  
nisi per crea-  
turas, sicut  
non nisi per  
creaturas.*